



O. i. 810 (1-39).

AD
ORATIONES PVBLICAS

QVAE
IN
GYMNASII REGII ACADEMICI
ALTONANI

AVDITORIO MAIORI

A. D. SEPT. clccclxxxiii. HOR. X. ANTEMERID.

A TRIBVS GYMNASII CIVIBVS

VLTIMAE HABEVNTVR

AVDIENDAS

MAECENATES, PATRONOS

AC FAVTORES

EA QVA DECET

PIETATE, OBSERVANTIA

ATQVE HVMANITATE

INVITANT

DIRECTOR AC PROFESSORES

RELIQVI.

ALTONAE, STANNO BYRMESTERIANO.

XXII.

22





ALTONANI
 AVDITORIO MAIORI
 DE COMMODIS, QVAE LONGE MAIORI
 COPIA EX PABLIS, QVAM PRIVATIS
 SCHOLIS HAVRIUNTUR
 VLTIMAE PABRYTIVK
 AVDENDAS

PATRONOS
 FAVTORES



bidium suam explet, mox nudo cibi potusque nisi illa
 fuerit, mox immoheret labore enervant, et turpiss
 morum facinorum exercitio eadem languida reddunt, adeo
 ut lenam labem sentiant, et regem suam continent, dege
 re. Venens hactenus sibi plurimum nisi sunt, neque in quo
 pecc





DE COMMODIS, QVAE LONGE MAIORI
COPIA EX PVBLICIS, QVAM PRIVATIS
SCHOLIS HAVRIVNTVR.



iferabilis cuiusque ignorantia, qua neque suae salutis consulere, neque reliquo hominum ordini iusta officia exhibere poterant mortales, infelici huic generi ipsa demum uisa est intolerabilis. Stolidi enim gens in sua ipsius uiscera saeuit, quae, ut libidinem suam expleret, mox nimio cibi potusque usu ista conferat, mox immoderato labore eneruauit, et turpissimorum facinorum exercitio eadem languida reddidit, adeo ut lentam tabem sentiret, et aegram uitam continuo degeret. Venena hausisse sibi plurimi uisi sunt, nescientes in quo pec-

peccauerint, atque unde tantum malum sibi contraxerint. Hinc alios huius rei suspectos habuerunt, atque ira in illos, sibi ipsi iam molesti, grassati sunt. Eheu! qui sui ipsorum conseruatores esse debuissent, eo indignitatis abrepti sunt, ut sese inuicem penitus destruxissent, nisi de temeritate sua admoniti ab illis, in quorum pectore meliora adhuc resederunt, quibus natura diuina doctrinarum arcana facta rectaque praestiterat. Quos non inique Statores humani generis nominamus; utpote qui oberrantes in rectam uiam reuocarunt, delinquentes facienda edocuerunt, et ea ipsis exprobrarunt, quae turpiter adhuc commissa sunt. Nec displicuit salutare consilium ciuibus ad legitima se iterum erecturis, sed, quod maximum est, una consenserunt, ut uel suis liberis iusta iam instillarentur, et animi adhuc teneriores inflecterentur aequoque assuescerent. Hac sola ratione existimarunt salutem futuram firmiter persistere, dimittentes liberos ab labore domestico, quo artium liberalium Magistros adire, atque his solis uacare possent. Tunc scholis aucta fuit respublica, ne dicam exornata a), testibus malae conditionis humanae, remediis, quibus fors instauraretur proculcatae felicitatis.

Cum autem ludis litterarum unus idemque finis, uerus Numinis cultus, ac reipublicae salus propositus sit, ad quem omni studio contendant, idque cum a priuatis, quas singulare cuiusque commodum, tum a publicis scholis, quas communis salus constituit, merito expectetur; nihilo tamen minus uiri prudentissimi earum rerum, quae ad scholas pertinent, solide expensis utrinque rationibus existimauerunt, publicas priuatis scholis multis de causis plurimum esse antefendas. QVINCTILIANVS b) id operae sibi iam datum putauit, ut meliora hac in causa cupientes hanc rem edoceret planissime. Cuius etiam argumenta multa et grauiora VOCKER-

ROD-

a) VOCKERODT in Consult. de litter. stud. Consultat. XVI. §. i.

b) Instit. Orat. Ll. c. 2.

RODITIUS digna censuit, quae suis *Consultationibus de literarum studio* c) interfereret, et alia adderet, dignitatem et uarii generis commoda scholis publicis amplius uindicaturus. Cum uero VOCKERODTIUS d) in ea sententia fuerit, circumspicientibus plures etiam, quae huc faciant, rationes relictas esse, quae occurrent, licebit argumentum inceptum continuare, et ad illa grauiora aliqualem operam nostram addere.

Commemorat QVINCTILIANVS duas causas, ob quas parentes filiorum institutionem domi malunt suscipi, quam scholis publicis eos tradi, *ob merum nempe, ne a fluctibus coetus magna ex parte petulantis dulcis et innocens filius correptus laedatur*, et germinantes eius mores aut supprimantur aut mox in peius mutantur. Digna quidem laude piam eiusmodi parentum sententiam QVINCTILIANVS effert egregiumque positum; sed et iis irascitur, qui ob caecum erga filios amorem uicia horum minus animaduerrunt, eosque domi suae retentos ab omni turpitudine absoluunt; quique scholis publicis tribuunt, quod imprudentiae suae in educando filio mox luxuriante, dum liberiori aëri permittitur, adscribere deberent. Paucula iam ad ea, quae sagacissimus Vir satis congrue monuit, adiungemus, metuque eos liberabimus, qui tutiora edoceri cupiunt, nec, quae semel mente sua conceperunt, reuera iudicant pertinaciter. Neutri certe habent, quod uereantur. Mixti quidem sunt in coetu scholastico, ut in omni aetate ac societate, boni malis; sed minimus in isto coetu numerus flagitiis se insignit, maior petulantem animum prodit, caeteroquin litteras non negligens, sed aequae magnus numerus benigniorem naturam ad ingenuos mores et diuinam doctrinam ulro fingit. Adsunt itaque quos uites, quos imiteris, adsunt exempla quae ab oculis proponas. Cum uero ipsa rei cuiusdam effigies atque naturalis forma sensus humanos

X 3

c) Consult. XVI. §. 5 seq.

d) l. c. §. 10.

manos magis afficiat, istaque altius in animum descendat; quis negabit honestatis turpitudinisque discrimen longe faciliori labore dignosci, atque, quod e salute adolescentis est, hac ratione citius conquiri posse, quam longa honestae uitae enarratione, quae auditu tantum excipitur; id quod scholis publicis acceptum refertur. Ibi conspicit iuuenem suis more uagantem, labe ex omni parte spurcatum, cui uultus pallefcit, quem macies tetra facie induit, quem uigor iuuentae deserit. Non enim occultant sese uicia, sed sua ipsorum forma in publicum prodeunt, et quid ualeant, commonstrant. Illic animaduertit petulantes, gregis lasciuientis instar suae libidini freno relaxantes, ineptire et ad tempus puerili genio indulgere. Hic miratur adolescentem bene moratum, honestum, ornatum, ac ad officia sua se impense accommodantem. Nisi uero mens eorum, quibus docendi munus iniunctum est, laeua et sceleris sibi conscia est, quae ab unoquoque eorum sit remotissima, improbos iuuenes grauius obiurgare, petulantum deformes mores uicis coloribus depingere, et discipulis nauseam in mala re concitare, probos contra ea digna laude condecorare nunquam desinent. Exponent illis damna certo futura, istis honestae famae detrimentum, his praemia, quae ipsos manent. Illos, ut sese emendent, istos, ut in melius sese flectant, hos, ut strenue pergant et ulterius progrediantur, nunquam non admonebunt. Videt ac audit haec nouus, qui accessit, litterarum studiosus, sese ad haec omnia explorat, nam uel ad hunc praeceptoris sermo sese mox ab eius introitu uertit, normam capit, ad quam se componat, quo maiorem suum magistri, amorem proborum condiscipulorum, laudem et futura praemia adipiscatur. Domi recitat, ut loquax est haec aetas, quae in scholis publicis audiuit, quae comprobata, et quae cum taedio reiecta sunt. Si itaque ad haec

uel

uel parentum, uel eorum, qui parentum munus sustinent, domestica cura ac monita accesserint, suauissime animus adolescentis formatur, et maius lucrum ex scholis publicis, quam priuatis ad eum redundat. Illi uero, qui ad libidinem concepti ac prognati sunt, nusquam locorum pellem mutabunt; Attamen in scholis publicis cautiore redduntur, ut sese reprimant, ne aliorum risui obiciantur. In quacunque ergo parte publicas scholas contemplemur, ubique commodorum copia elucet, quae ex parte cum priuatis communia habent, plurima autem sibi ipsi merito suo uindicant. Non sane apparet, quae dictis obuerti possint, nisi, quod beatus sit, pessima nunquam uidisse exempla. Optando si haec res confici et malum hac ratione si propelli posset, plus quam millies id precaremur. Sed cum frustra eius defectum expectemus, quod frequentissime occurret; consultius factum iudicamus, ut et ea, quae honesta, et quae turpia sunt, tenerae adhuc soboli cominus conspicienda exhibeantur, ut graues sermones simul instituantur, quibus honestatis naturalis bonitas, commoda, laus ac summa eius pretia ac praemia explicantur, in quibus turpitudinis ac uiciorum deformitas, damna, quibus se ipsa misere destruunt, poenae durissimae ac ineuitabiles exponuntur. Cereae est ista aetas, cui ea, quae recta sunt, quae beant, quae perdurant facillime imprimuntur. Vacua est, et cultui patet; tum tempus instat, quo in integritatem adferatur, quo optimis morum seminibus praeceptis atque exemplis conferatur, ut fructus honestioris uitae uberrimos proferat. Nuda est; quibus exemplis illam amicuieris, quam uestem ei laudaueris, eam amplecterur, induet et retinebit, quam contra ea turpissimam commonstraueris, eam fastidiet et odio prosequetur. Credula est, et nondum intra se sentit adultas cupiditates, quae doctrinae refragantur, et ipsam cuiuslibet rei naturam experiri, quam uer-

bis

bis edoceri malunt. At, quam periculosum est ducere natura luxuriante usum rerum discernere uelle! Verendum sane, ne ea comprobentur et iuuenem ad se abripiant retineantque, quae cum genio suo conueniunt, quae uoluptatem conciliant, etsi a probissimis quibusque damnentur.

Adiungit **QUINCTILIANVS** alteri iam alteram causam, quae parentibus persuadet, ut filiis domi praeceptores aiant, nec illos publico discipulorum coetu committant. In eo autem cardo illius causae uertitur, *omnem rationem accuratam filiorum ita haberi, omne studium ac tempus ad illos impendi posse*, quod in coetu quodam maiore minus obtineret. Quo longius huic argumento discutiendo immoratur **FABIVS**, eo breuius hos esse possumus, ita, ut nostram cum istius sententia coniungamus. Optime et sibi consulere parentes et saluti filiorum suorum prospicerent, si publicis domesticos etiam subiungerent morum ac studiorum moderatores. Ita enim fiet, ut, quae ibi audiuit et percepit, cara patrum propago, hic coram priuato praeceptore effundat, repetat ac edoceat; quae ibi iusto ordine, ratione ac luculentia perspicuitate non cepit, hic rite componantur et notioribus uerbis ueluti lumine collustrentur. Ita sane adolescens eruditus mox euasurus animum praesentem et attentum ubique circumferret. Probe hoc dudum animaduertunt isti uiri, qui ipsi experti sunt, quae cura ac prudentia ad iuuenilem aetatem instituendam adhibenda sit. Ipsi ad hanc normam filiorum studia moresque componunt, nec habemus, in quo ab iis dissentiamus, cum in eadem plane sententia simus. Adsunt autem, qui sibi ipsi tantum sapiunt, putantes, et animum et uerba praeceptoris domestici ad solum filium dirigi atque haec ex illius ore ad huius aures recta uia deferri. Sed nesciunt sane, quod dicunt; nam eius, qui publice docet, animus quoque ad omnes singulosque sese adstringit auditores, quin eo magis in illo

excitatur, quo cupidior est singulis satisfaciendi. Copiosus auditor studium animi excitat, quod in paucissimo istorum numero minus requiritur, ubi sedata mens et remissa uox iam sufficit, nisi malueris in solitudine liberius semper et concitatus perorare. Talis autem serena mens sese ad omnes auditores extendit, eosque simul sua alacritate commouet atque ad se abripit, nec negligentiam in coetu suo patitur, qua studium et labor inanis redderetur. Una uox ad omnes, qui praesentes sunt, pertingit, una uoce centum aequae ac unus erudiri possunt. Quod si filius domi cupidus est audiendi, idem erit, ubi publice docetur, ubi eiusdem farinae, et ob eundem finem plures ad sunt, qui isti stimulos addunt; sin minus, domi nihil proficies. Cogi interim potest, sed tunc maius taedium in isto suscitatur; donis pellici, sed ad tempus ardor tepidus paratur, et discitur non scientiarum sed praemiorum causa, quibus obtentis, istas ultro dimittit ex animo nec retinendas curat. Cui demum bono labor impensus est? cum effulgens spes et patrem et magistrum denique fallit. Exempla talis filius circumspicere uidetur, a quibus et artem auscultandi et discendi capiat. Sed quotidie et toto die cum praeceptore suo uersatur adolescens, ex cuius sermone mirum in modum cognitio filii augetur, quem subinde multa rogar, quem in elaborando specimine in auxilium uocat. Quae etsi ueritatis speciem praese ferunt; tamen e re filii non esse uidentur. Aut enim discipulus ea iam plane intelligit, de quibus disciplinae magister sermonem instituit, tunc parum sane animum aduertet tanquam ad rem sibi notissimam; aut ignorat ista, et multa rogitat. Quae uero cum extra ordinem fiant, addiscuntur quidem, sed mox obliuioni traduntur. Ea enim omnia, quae fundamento destituuntur, corrunt, et quae iactis fundamentis iusto nexu ac ordine non superstruuntur, breue tempus dissoluit. Con-

cedamus adolescentulum plurima ex sermone retinuisse memoria, ista tamen vulgi more ut historias meminerit, non ut scientias, in quibus pertractandis alius est descendendum. Adde, quod mens magistri non semper ea serenitate gaudeat, qua rem luculenter et clare rogatus exponat. Quaeso quid inde lucri? Haec autem intelligi uolumus de breuiori sermone uoluptatis causa infuturo, a quo mox ad alterum et alium transitur. Aliter sane indicandum est de sermone, quo ex praemeditato consilio adoleseens iusto ordine erudiri solet. Quod ad auxilium attinet, quod magister bonarum artium discipulo praestet componenti industriae suae specimen; nos quidem censemus, hoc minus prudenter factum et noxium esse. Exposita enim satis distincte disciplina, inculcatis praeceptis, proposita materia scribendi captum discipuli non superante, indicatis adminiculorum generibus, sibi relinquatur discipulus, solus negotium perficiat, et suis uiribus confidat. Obest praesentia magistri; cum enim primo ad aspectu discipulus rem arduam conspiciat, mox desperat de prospero successu, remittit, nec intendit ingenii uires, nec audet; ad praecceptorem accurrit, auxilium eius implorat, et hoc praesente omnia facillima, isto absente difficillima esse censet. Quando autem suis penis uratur adolescentulus? Aberret a tramite, quo causa erroris manifestius indicari possit ipsi, quo imposterum curatius attendat, et cautius agere discat. Non ergo uidemus, qua in re commoda priuatarum scholarum maiora sint publicis, cum idem studium, idque maius in scholis publicis, iuuentae sacratum reperitur. Quid? quod, cum ad recitationem speciminum accedunt discipuli, ut sententiam de illis studiorum moderator et arbiter proferat, commodum emergit scholis publicis singulare. Vix aequa ratione omnes eandem dicendi materiam persecuti sint; ille pessime officio suo functus, iste mediocriter, hic et cultum sermonem et miram ingenii artem adhibuit. Etiam in his alius frictiori ordine, alius iucundis ambagibus, alius argumentis ad captandum auditores maxime idoneis, usi animi sui sensa expresserunt. Neque necessarium est, ut aliunde exempla uilis et eximii sermonis arcesantur, quae proponantur, quotidie in promptu sunt in scholis publicis; quae exempla eo studiosius expenduntur, cum inter aequales enata sint. Segnitium errores arguunt, diligentiam laudes comitantur. Haec conimouent

et excitant adolescentem, nisi sit ex arcadico grege, alacriores reddunt studiosiores, ut alter alteri palmam praeripiat. Annotantur ideo ea, quae fuerint elegantissima, ut deinceps data occasione usurpari queant. Ad haec accedit, quod ea, quae publice recitantur et exhibentur, metum ab adolescentulo propellant, atque animum eius paulatim confirmatum reddant, ut in coetibus splendidioribus deinde uerba facere non erubescat. Incipit discipulus, simulac scholas publicas frequentat, in celebritate hominum uersari et diuersa eorum ingenia cognoscere. Vbi idoneus effectus est, ad orationes in concione habendas excitatur, ad disceptandam controuersiam prouocatur, ut omnia omnis generis exercitia excolat, quae in iuuenis studioso requirantur. En! studia et commoda, quae in scholis publicis maxima copia adhibentur et colliguntur.

Duobus istis iam tertium adiicimus argumentum, quo privatae institutioni primas conciliare laborant, scilicet in hac adolescentem una docendi ratione uti, in scholis autem publicis uix idem sperari posse, iis praesertim, in quibus unus docentium mox alterum et alium excipit; talem uero mutationem turbare et minus proficere, nec progressus discipulorum magistro semper ante oculos ita uersari. At, si docendi aut dicendi ratio illis norma est, ad quam omnia dirigantur, aut ea erit, quae mathematicis arridet, aut quae ab una ad alteram causam pergit, aut quae quaerendo et respondendo absoluitur, liberio rem enim non admittere uidentur in erudiendo filio. Vnam autem eandemque rationem et in docendo et in dicendo retinere, idem est, ac auditori unam uiam monstrare et millies eandem repetere, reliquasque pariter aequas uel forte uenustiores discentique iucundiores reticere. Difficile est omnem doctrinarum materiam eadem mensura emitti, et ad hanc omnis generis homines istas edocere uelle. Rudior est plebecula gens, quam ut ista mox cogitationibus suis adsequatur, quae altius et strictius praemeditata fueris; multiplici artificio utaris, ut illa intelligat plebs, quae significare uolueris. Nec eruditorum corona illo oratore delectatur, qui uarias res uno et eodem ordine edisserit. Molles ac delicati et, teste siue CICERONE siue Cornificio e) aurium sensus fastidiosissimi

B 2

e) ad Herenn. 4, 23.

mi sunt, malunt per ambages cum iocupate duci, quam eundem strepitum ordinis perferre. Rides HORATIVS f) citharædum, qui eadem chorda semper oberrat, merito ridemus et illos, qui plurimas scientias ad unum modum occinunt. Adolescens autem eandem viam, qua in erudiendo usas est, nunquam non retinebit, alias differendi rationes aut ignorabit, aut fastidiet. A limine statim reformidabit ea, quæ ordinem sibi consuetum præ se minus ferunt, etsi aequè ordinate et forte maiori cum utilitate ac sua sint proposita. Hinc ille factus, cum suum cuique pulchrum, hinc illæ rixæ et censorum turbæ qui omnem licentiam in alios exercent g)! Laudant, quod consuetudine receperunt, conviciis proscindunt, quod ignorant. Hæc quanta temeritas et audacia! At, forte hanc docendi rationem isti non requirunt, sed eam, in qua, quæ cuilibet ætati addiscenda conveniunt, proponuntur. Sed vel hic ordo in scholis publicis observatur accuratissime. Conferunt enim inter se rationes doctores publici, qui unum discipulorum numerum erudiunt, quo modo sese invicem adjuvent, negotium utrinque fragillus reddant, ea doceant, quæ captum non transcendunt, ut coniungant, quæ in eundem scopum inclinant, interponant, quæ animum excitant et recreant. Nos sane, iustum ordinem hac in causa a pluribus viris iisque fidelissimis tutius constitui posse putamus, quam si id negotii uni tantum relinquatur. Neque vero disciplinae morumque magister, qui domi alitur, uni doctrinae generi discipulum continuo alligat, cum hoc severioris ætatis, non autem lubricæ sit, ut vel in hoc negotio institutioni publicæ nihil vitio verti possit. Cum doctrinarum vicissitudine in scholis publicis egregium plane commodum adolescentiæ coniunctum est et eorum, qui docentium munus suscipiunt. Nam unicuique horum suum disciplinae genus commissum est, quod explanat, nec, nisi urgente necessitate, in alienam messem falcem facile immittit. Suum opus quisque peragit, illudque meditatur, et, quomodo istud exornet, profectatur, inculet, omni studio allaborat. Nec sane mirum utrinque faustissimos successus consequi et docentem, qui uni negotio studiorum vacat, et discipulum. Hic enim, altero discedente, alterum docto-

rem

f) de arte poet. v. 356. 357. g) QVINCTIL. l. c. 1. 2

rem auide expectat; iam antea in memoriam reuocat, quae enarrata sunt, ut, quae denuo docentur, ad ista addat. Perfuadet sibi discipulus, nec fallitur, magistrum in sua arte uersatissimum, ideoque tutius ex eo quaerit ista, in quibus alii secus sentiunt. Corruit ergo opinio, quae aut unam docendi rationem suadet, aut ea, quibus iuuenilis aetas imbuenda est, priuatis scholis constituenta solum tribuit, quae uicissitudinem docentium reuertit, et progressus discipulorum hac ratione ignorari falso constringit. Collige nunc commodorum segetem, quae schola publica largissime spargit; sed maiora adhuc reperies, si damna perpenderis; in quae incurrere possunt, qui priuatam institutionem, posthabitis scholis publicis, retinere malunt.

Faucissimi sane eruditorum in tanto studiorum ac disciplinarum campo inuersati sunt, ut ex omni parte rem accurate calleant et eulmen eruditionis conscendant. Plurimi se isti studio mox adducunt, cui inhaerere, et quo aliis per uitam prodesse cupiunt; ad aliena castra non ut transfugae, sed ut exploratores transeunt h). Hi quidem teneriori aetati suam operam largissime nauare possunt; sed ubi ad altiora adscendendum adolescenti, uix unus in omnibus huic satisfaciat. Multa proinde ad tuendam opinionem de se comminiscerit, multa ad ingenium accommodabit, et, quae speciem tantum habent, ut uerissima exhibebit. Hinc fit, ut multa dediscere oporteat iuuenes, quae multo forte sudore excusso addidicerunt, nisi adultos errores uel senio confecti circumferre uoluerint. Manent errores ab initio hausti, et uix animo satis euellere possunt, ne quidem tunc, cum eadem disciplina ab aliis curatori traditur studio. Equidem neuitquam scholas publicas ab omni labe et errore liberamus; adsunt etiam in illis, qui eloquuntur, quae in buccam ueniunt, praecipue cum ad aliena sibi excurrant. Sed errores istius modi sese mox produunt in ipsa disciplinarum parte, ad quam spectant. Cum enim ad eam accedit ille, cui ista sparta demandata est, et qui omni fide ac dexterritate eam tuetur, illico animaduertit adolescens rei discrimen, et serupulum eximi et ueritatem edoceri flagrat. Quis uero ab unico homine expectaret ea, quibus uix plures sufficiunt. Attamen sunt, qui haec uerbis iactitant, et aliis imponere non erubescunt.

B 3

Cum

h) SENECA Epist. 24. (3 772 272 v. 2009 2116 2116)

Cum itaque factis appareat, certiora ac tutiora esse, quae in scholis publicis docentur, neminem fore putamus, quin copiam commodorum huius, eo libentius concedat, quo turpius est, fallae et labore et sumptibus sibi comparare.

Fingamus autem praeceptorem domesticum in omni scientiarum genere esse exercitissimum, et per omne studiorum tempus adesse iuveni discipulo; saepissime tamen fit, ut aliquid humani patiatur, et mores uitaeque genus agat, quod, etsi flagitiosum minus, tamen ubique gratum non est. Forte nimis garrulus, aut rixosus, aut in alios contumeliarum aculeis iniurius, aut rerum nouarum curiosus, aut fastu inflatus, aut ardello, aut iusto timidiior, aut in dicendo nimis parcus est. Non sane ea celabit, quae sibi a natura indita sunt, et ea commendabit, quae ipse sapit, non reprehendet in alio, quod suo exemplo comprobatur. Certe ad exemplum magistri sese componet adolescentulus, et talem habebis filium, qualem mercede conduxeris praeceptorem. Felix, qui talem nanciscitur, qui integer uitae scelerisque purus et omni eruditione imbutus est! Cum autem in scholis publicis plures adsint, qui non eosdem manes patiuntur, etiam erectiora modestae exempla sequendi copiam largiuntur. Hic ea, quae minus honesta ac decora sunt, et quae ab alio susque deque habentur, aut non illo tempore obseruantur, mox ab alio censorio uultu taxantur et corriguntur. Quisque eorum, qui in scholis publicis adolescentiae praesunt, eo sine erudiunt et emendant, ut filium melioris frugis domum remittant, quod commoda scholarum publicarum mirum in modum auget.

Verendum denique est, ne ob continuam familiaritatem, qua ille, qui domi docet adolescentulum, fruatur, multum de dignitate sua remittat; ne ob eandem causam discipulus eum negligat honorem et reuerentiam, quam morum suorum formator merito exhiberet. Quid proinde lucri, cum, eruditione conquisita, morum honestas adhuc desideretur? quidni ergo scholae publicae maiora commoda praestarent priuatis? quam uero haec omnia longe uerissima sunt, uix tamen omnes eo commouebis, ut filios ex gremio suo dimittant et publicae palaestrae commendent. Existimant enim et meliori luto se effi-

ctos de dignitate et nobiliori conditione sua sese decedere; si filium plebeio gregi immiscerent. Quibus, ut sensu suo abundent, lubentissime concedamus. Sed sunt, qui celso et generoso stemmate gaudent, qui nobilissimis et honestissimis natalibus editi sunt, et eandem nobiscum sententiam fouent; qui plane cognitum habent, ex scholis publicis largissima commoda percipi; qui iisdem caros filios imperiri cupiunt. Testatur hoc Gymnasium nostrum academicum, quod omnis generis, conditionis, ac dignitatis ciues exornant; testantur hoc tres Iuvenes, quos e sinu nostro nunc dimitimus, quos dignissimos iudicamus, qui ad altiora contendant, et studiorum cursum satis feliciter inceptum ad finem perducant. Publice hos laudamus ob assiduam studium, quod isti studiorum generi, cui sese consecraverunt, impenderunt. Exornarunt eam disciplinarum cognitionem, quam ad nos attulerunt, auxerunt eandem, nec unquam eos poenitebit nostris interfuisse scholis. Nostrum ergo est, ut hos nobis dulcissimos Auditores eo ardentioribus uotis comitemur, quo minus nobis reconciliati sunt, quo praefixum scopum plane contingant, quo spem parentum adimpleant sui que laboris praemia ferant largissima.

Nimirum generosissimus iuuenis

ARNOLDVS LVDOVICVS A SALDERN

Viri per-*Illustris Io. Iulii a Saldern* praefecturae Neohusanae in ducatu Bremensi praefecti primarii filius, qui praestantissimo ingenio praeditus indefesso studio ea, quae ad cognitionem iuris, et quae ad humanitatis et politicior litteraturae studia pertinent egregie conquisiuit, et apud nos excoluit publiceque testatus est.

Nobilissimus iuuenis

CAROLVS FRIDERICVS GOLDBECK

Halberstadiensis,

Viri olim generosi *Ioach. Guilielmi Goldbeckii* consiliarii aulici et in principatu Halberstadiensis quaestoris primarii filius, qui studia, quae ad humanitatem pertinent, ex institutione *Maxime reuerendi Scholtzii*, dum nostro interesset collegio, se maximam partem percepisse ipse fatetur. Placuerat *Goldbeckio* nostro prae reliquis

quis scientiis studium historicum, quod summo labore et industria tractavit, et nunc parat isti fundamento iurisprudentiam superstruere.

Nobilissimus iuuenis
IOACHIMVS VOSSIVS,
 Ritzebüttelio Hamburgensis,

Mathesin et philosophiam singulari industria coluit, studiumque medicum amplexus haud tenues progressus in ista scientia fecit, quum penitioris familiaritate frui ipsi licuerit apud eum, cui in collegio nostro id numeris iniunctum est. Nunc officio suo et legibus nostris satisfacient orationibus,

Primus ad d. XIII. Sept. *De usu iurisprudentiae in explicandis auctoribus classicis* idioma latino,

Secundus *de praestantia ac necessitate studii geographici*, lingua uernacula, et

Tertius *de philosophis feliciter inter se dissentientibus* latine, dicturi ad d. XX. Septembr.

Ultimum uale addent. Quo itaque MAECENATES, Patroni, Fautores atque litterarum amatores hosce iuuenes sua gratia et beneuolentia dignentur, frequentia sua istorum conatus comprobent horumque gratissimi animi significationes praesentes excipiant, enixe rogitamus. P. P. Dom. VIII. post. Trinitat. A. R. S. clo 1o XXXXIII.



01 A 6519

ULB Halle 3
002 928 736



Stk. 7 = Zschr.


Sb.

Rehr ✓

K







AD
ORATIONES PVBLICAS

QVAE
IN
GYMNASII REGII ACADEMICI
ALTONANI

AVDITORIO MAIORI

A. D. SEPT. c~~l~~c~~l~~ccxxxiii. HOR. X. ANTEMERID.

A TRIBVS GYMNASII CIVIBVS

VLTIMAE HABEBVNTVR

AVDIENDAS

MAECENATES, PATRONOS

AC FAVTORES

EA QVA DECET

PIETATE, OBSERVANTIA

ATQVE HVMANITATE

INVITANT

DIRECTOR AC PROFESSORES

RELIQVI.

ALTONAE, STANNO BVRMESTERIANO.

XXII.

